

Reverendi Domini PRÆPOSITI,

Fratres & amici plurimum honorandi,



Um Episcopi munus, cui in Magno hoc Ducatu administrando, Deo ita providente, annuenteq; Rege, unanimi patriæ Ecclesiæ vox me ordinavit, id præter cœtera à me requirat, ut in vitam & mores singulorum, Docentium præcipuè, inquiram, corrigam quæ desint, & constituam oppidatim, seu per singulas pro ut res postulat Ecclesias Præsbyteros, ut Titum suum monet Sanctus Paulus Cap. 15. Ideò ut huic muneri satisfaciam, necesse est, ut omnes verbi ministros, meæ inspectioni concreditos, in numero habeam, sciamq; quinam officio suo recte præsent, & qui minus. Nam qui bene ministraverint gradum sibi bonum acquirunt, monente eodem Paulo, h.e. eorum in promotionibus ad meliorem aliquam conditionem præ cæteris habenda erit ratio. Cum itaq; funestum hoc, quo tota pene civitas proh dolor conflagravit, incendium, ut alia monumenta quæ mihi in administrando munere usui & adminiculo esse potuissent, etiam catalogos, ubi ministrorum ad hanc diœcesin ordinatorum nomina consignata sunt, deleverit, non video unde damnum illud rectius resarciri queat, quam ut Præpositi in suo quisq; contractu seu præpositura, quam accuratissimè annotent omnium eorum nomina qui sacro ibi ministerio funguntur, Pastorum, Rectorum, Pædagogorum, Collegarum, Sacellanorum, Adjunctorum, Aulicorum, ut & eorum qui tali fortè munere exclusi, vel apud parentes latitant, vel incertis sedibus vagantur. Quare vos Reverendi viri, qui Episcopi vices in singulis contractibus obitis, majorem in modum rogo, ut in hac re mihi & Consistorio auxilio sitis, atq; talem eorum catalogum adoretis; addita singulorum prosopographia seu descriptione,

indicantes quando, à quo, & ad quam functionem quisq; sit ordinatus, quamdiu, quaq; fide & integritate ei præfuerit, qua occasione inde translatus, vel ob quam causam ista forte functione exciderit, quam diu certo jam ministerio cauerit, & quo interea pacto inter vos vixerit, ut vel ab eruditione vitæq; integritate nobis commendetur, vel innotescat ex vitijs & ruditate. Hunc catalogum ubi fuerimus adepti, inferemus in *Matriculam ministrorum verbi Dioceseos Aboensis*, qui in Consistorio nostro ad posteritatis memoriam & informationem annuatim auctus magno studio perpetuò conservabitur, juxta ejus ductum singulos qui promotione aliqua indigere videbuntur, pro ratione ætatis, eruditionis, vitæ, & meritorum citra illorum sumptus, qui in molesta itinera, sæpe etiam frustra, impendi solent, ad officia, utp. Pastoratus, Sacellarias, aulicas, vel scholasticas functiones, ordine & ritè promovebimus, idq; ea fide, eodq; zelo, quem à nobis requirit Dei Opt. Max. gloria, Ecclesiæ ædificatio, & conscientiæ nostræ dictamen, parati dispensationis nostræ rationem reddere Deo, Regi, & Generali regni Consistorio. Monendi itaq; à vobis erunt omnes ij qui sive ad Sacellariam aliquam, sive Pastoratum, aliamve Ecclesiasticam functionem promoveri cupiunt, ut tantisper quieti suo quisq; loco maneat, dum à vobis & Ecclesia prius nominentur, deinde à nobis vocentur, ne in eos merito dici possit: Currebant & non mittebam eos. Si quis Ministrorum hunc ordinem inverterit, nobis posthabitis aliorum manus prensaverit, precario & intempestivis sollicitationibus Magnatum, Nobilium aliorumve Politicorum commendationes extorserit, nosq; in administrando munere divinitus & à Regia M:te nobis commisso eo pacto turbaverit & molestia non exigua affecerit, certo sciat se, ut refractarium & contumacem, vel gradu suo dejectum vel alio modo

modo punitum iri.' Non derogamus huic vel illi Ecclesiæ  
suum jus & libertatem. Imo concedimus ei jus & pote-  
statem vel sex nominandi, modo Ecclesia illa nobis rursus  
concedat illud jus, quod Deus & Christianus Magistratus  
nobis indulgit, ut eum Ecclesiæ ex istis ordinemus Pastorem  
quem nos judicaverimus præ cæteris maxime idoneum. Ita  
Præposito cum loci Pastore ubi comminister requiritur, con-  
cedimus jus duos tresve nominandi, ut ex illis nostro judi-  
cio maximè idoneus isti muneri præficiatur. Verum si Ec-  
clesia idoneas personas nominare nesciat, non ægrè ferat, si  
nos, qui officij ratione singulos probamus & examinamus, &  
ideo rectiùs cujusq; eruditionem, vitam & aptitudinem per-  
spectas habemus, quem maxime idoneum deprehendimus,  
offeramus ordinemusq; Ecclesiæ; cum ea tamen conditione,  
ut si Ecclesia habeat quod merito objiciat, nunquam eum ob-  
trudamus invitæ Ecclesiæ. Novimus etiam quantum in Pasto-  
rum electione debeat Ecclesiæ Patronis, eorumq; sive scri-  
ptis sive ore prolatis commendationibus; nempe qui suis sumpti-  
bus Ecclesiam aliquam extruxerint sustentaverintq;, vel qui  
alterutrum horum præstiterint, vel aliàs eximijs donis eam or-  
narint. Quanto quisq; plus in Ecclesiæ structuram & orna-  
tum contulerit, tanto etiam majoris ponderis erit ejus suffra-  
gatio; ita tamen ne ea in Ecclesiæ, cujus Patronum agit, ver-  
gat detrimentum, & salutis animarum, quæ imprimis quæri  
debebat, jacturam. Cæterum cum id omnino necessarium sit  
ut ij qui alijs salutis viam monstrabunt, ipsimet sufficienti  
articulorum fidei cognitione sint instructi, quod sine fideli  
verbi divini lectione, veroq; ac genuino ejus sensu fieri nequit.  
Eorum autem qui ministrorum verbi nomen inter vos gerunt,  
permagnam esse audio multitudinem, quorum necessaria in ar-  
ticulis fidei cognitio Collegis meis tam Consistorij Ecclesiasti-  
ci adfessoribus quam cæteris Professoribus prorsus inexplora-  
rata

rata est & incognita. Illi itaq; omnes qui ad quamcunq; functionem Ecclesiasticam, sive lautio rem aliquam conditionem adspiciant, severè jubentur ut sacra Biblia sibi comparent, præsertim vernaculi sermonis, quorum hìc & magna est copia & æquo veneunt precio. Inde discant hoc anno ex V. T.<sup>o</sup> Pentateuchum, & ex Novo, Evangelium Matthæi, nec non Epistolas Pauli ad Romanos, Corinthios & Galatas; ita ut præcipua dicta inde sibi reddant familiaria, & quæ in singulis capp. continentur, ritè commemorare queant. Præterea ut accuratè rationem reddere sciant partium Catechismi ex brevi illa exegesi B. Lutheri; nec non articulorum Aug. confessionis, qui in manualibus passim hodiè habentur. Brevi autem tempus illis indicabitur intra quod examini se hìc sistent. Qui in hisce plane rudes deprehensi fuerint, indigni judicabuntur quibus in posterum credatur Sacrosanctum illud docendi munus; cum enim cæcus ducit cæcum ambo in foveam cadunt. Audio etiam quamplurimos reperiri, qui cum per manuum impositionem non ordinati sint, publicum tamen docendi in Ecclesia munus usurpant, illis planè interdicitur, ne ullam partem Sacri Ministerij posthæc obeant. Qui secus fecerit, eum apprehendi curabimus, ut plectatur juxta rigorem ordinantiæ nostræ. Notum etiam esto vobis & auditoribus vestris non nisi diebus Mercurij Consistorium Ecclesiasticum haberi, & tunc casus suscipi examinandos.

Hæc pro cura quam officij ratione Ecclesiæ impendere tenemur, nunc in ingressu Episcopalis officij monere operæ duximus precium, Vos Rev. Dni. Præpositi amicè rogantes, ut onus nobis impositum, quod certè in se grave est & portatu difficile, vestra operâ, sedulitate & fide levius reddatis & minus molestum. Scripsimus Aboæ 17 Aug. An. æræ Chr. 1659.

JOANNES ELAI TERSERUS  
Ep. Aboensis suo & Collegarum in Ecclesiastico Consistorio nomine.